



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Censvra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

patres

bare uult, per patres ueteris testamenti, qui fide uicerunt regna. Sed est arena sine calce. Patres quam nihil sciuerint de hac confessione & satisfactionibus, scimus, & poenitentiam, non nisi contritionem & fidem habebant. Caterum quis docuit fratrem hanc partitionem a primitiua coepisse ecclesia? Sed sui similis est, & putat se cum Fabro suo esse in officina ferraria, ubi suo arbitrio omnia possit pingere et cudere, quae in mentem ueniunt. Quare cum de personis declamitat, ego hic nullam personam uideo, praeter personam scriptoris laruatam. Nam nec patres nec primitiua ecclesia suffragantur quicquam Monacho. Vendicent sibi quidam ecclesiae titulum, multitudinem, antiquitatem & alias notas. Nos ecclesiam audimus habentem suas notas uerbum, & fidei sacramenta, & crucem.

PROPOSITIO XXXV.

Confessio est fructus fidei.

CENSURA.

Peccatorum confessio non est fructus fidei, sed poenitentiae.

CONDEM. CENSURAE.

Cum frater ignoret quid sit poenitentia, propterea negat confessionem esse fructum fidei, quae duplex est: Altera fidei, altera charitatis, cum ex cognitione nostri resultet contritio. In hac uero erigimur fide, magna cum humilitate confitemur Deo nostra peccata, nos a planta pedis ad uerticem usque esse morbosos. Plena est scriptura hac confessione